

in Isagoge in Arati Phaenom. cap. 18. *) extat, deflexit. At demus ipsi, quod a Chaldaeis proditum esse vult, quis est, cui non statim pateat, totam rationem non strictissime, sed platice et lato quodam modo intelligendam esse, quoniam re ad summum rigorem exacta inter mille homines mediae staturae (et quota pars sunt hi hominum cuiusque staturae!) vix unum repereris, qui velocitate a calculo prodita et postulata utatur. Sic vero res perdit, quidquid ei primo aspectu inesse videri possit, mirabile.

Sed piget diutius his immorari ieiunis comparationibus. Quare finem faciam disputationi meae contra hunc auctorem, ubi hoc unum addidero, ex quo cognosci licet, quam magnifice ille de puerilibus suis inventis sentiat. Etenim quum calculo subducto repererit, numerum dierum anni, $365\frac{1}{4}$ puta, quadratum radicis 19 et cubum radicis 7 modo paullulum excedere, non dubitat, hoc inventum notatu dignum vocare, et in eo aliquid legi Keplerianae, ex qua planetarum primariorum tempora periodica sunt in ratione sesquuplicata distantiarum mediocrium eorum a sole, quamque etiam planetae secundarii respectu primariorum suorum observant, simile cernere. — At quam alte lex ista super pusillum auctoris nostri inventum emineat, inde intelligi potest, quod eius subsidio plura multo exactius quam per observationes determinare licet, cuius rei exemplum luculentum distantiae trium intimorum Iovis satellitum ex nota distantia quarti extimi et temporibus periodicis erutae praebent. Auctoris nostri inventum e contrario quum solitarium sit, nullum omnino usum habere potest, quin immo, ubi ad veram rationem exactum fuerit, absoni aliquid, radicem scilicet quadratam vel cubicam numeri numerati, involvere invenietur.

*) Petavii Uranolog. p. 187. s. Doctr. Temp. Tom. III. p. 81. —
— Cf. quoque: *Weitere Ausführung der mathematischen Geographie von A. G. Kästner. S. 449 u. folg.*